

CONCLUSIO VII. Quod verò in casibus Conclus. II. aqua præstitit orbiculorum supernæ faciei incumbens; idem in casibus Phæn. XIV. XVII. ac XVIII. aër effecit. Nam in Phæn. XIV. orbiculus inversi vasculi fundo adhæsit, ab aëre infero sustentatus, quia quæ restabat supra orbiculum aqua & æquivalere parvulo suo pondere haut poterat, donec aperto epistomio subingressus aër ipsi suas quoque vires adjungeret, junctisque adeò orbiculi proprio, aquæ & aëris desuper incumbentis ponderibus, inferiùs urgentis aëris pondus solitarium cedere cogeretur. In XVII. Phæn. autem etsi aër inferus per foramen adhuc apertum sursum protrudere poterat orbiculum, superabat tamen aër superior orbiculo toti liberè incumbens, cum inferior ejus partem solum foraminis aperturæ æqualem directè quidem attingeret, oblique verò per commissuram ejus cum fundo angustiore ac madore expletam difficiliùs se insinuaret: Unde factum etiam, quòd inversâ situlâ madidus orbiculus nihilominus hæreret, etsi proprium etiam pondus cum illo aëris per foramen urgentis jam conjunxerat. Denique in Phæn. XVIII. ex eodem defectu aëris inter aquæ & incumbentis orbiculi plana liberè se insinuare haut valentis, horum cohæsiò eodem modo contingebat, quò aliàs in planorum politorum conjunctione fieri solet: sed hæc cohæsiò multò imbecillior erat ponderique multò minori quàm in casu XVII. Phæn. æquivalebat, ideò procul dubio, quod aquæ planum minus rigidum faciliùs cedere subrependo prementi aëri potuerit.

Causa 14.
15. 17. &
18. Phæn.

CONCLUSIO VIII. Et ob hanc ipsam causam orbiculum exactè politum (siquidem id fieri possit in ligneo) aut hydriæ interioris basin politam, situlæ aut exterioris hydriæ fundo itidem exactè plano politoque tantò firmiùs adhæsus rosevidenter videmus (tametsi ejus rei periculum actu facere non licuerit) quantò certius est, aëris & aquæ columnas orbiculo aut basi hydriæ toti desuper incumbentes junctim plus

Causa 27.
Phæn.